

*Q. F. F. Q. S.*  
DISSERTATIO,

DE

# INGENIO FE- LICE,

Cujus PARTEM POSTERIOREM  
Suffrag. Ampliß. in Reg. ad Auram Acad.  
Collegio Philosophico,

PRÆSIDE

# HENRICO HASSEL,

Eloqventia PROFESS. Reg &amp; Ordinar.

PRO GRADU MAGISTERII

*Publico bonorum examini modeste submittit*

# JOHANNES THOREN,

*SVECIA VEST GOIUS,*

Ad diem XV. Julii, A:o MDCCXLVIII.

Loco horisqve p. m. solitis.

A BOÆ,

Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typogr.

S:æ R:æ M:tis  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
Reverendissimo Patri ac Domino,  
**DN. DANIELI**  
**JUSLENIO,**

S. S. Theologiæ *DOCTORI* longe Celeberrimo, inclu-  
tæ diocelesos Scarensis *EPISCOPO* Eminentissimo, ve-  
ner. Consistorii *PRÆSIDI* Gravissimo, Regii Gymna-  
sii Scholarumque *EPHORO* adcuratissimo,

MÆCENATI SUMMO.

**T**ibi, Reverendissime *PRÆSUL*, non ingenio  
nistro, sed Favore Tuo freti, opellam hanc  
consecrare sustinimus. Exarata est, dum ad  
illam egimus Academiam, quam IPSE, ut Pu-  
blicus

blicus Doctor tanta cum laude tamdiu ornasti.  
Fatemur argumentum hoc pleniori commentatione  
elucubrandum fuisse; verum & typographia &  
rerum nostrarum ratio imperavit, ut cogitationes  
qualescumque in arctum cogeremus. Hunc igit  
tur conatum nostrum innoxium serena excipias  
fronte, nobisque Tuos inter clientes aliquem  
concedas locum, humillime precamur. Pro Tua,  
Reverendissime PRÆSUL, Nobilissimæque Fami  
lia TUÆ perenni felicitate ac flore vota ardentis  
sima nuncupare non desinet,

Reverendissimi TUI NOMINIS

devotissimus cultor

JOHANNES THOREN.

*VIRO plurimum Reverendo atqve Clarissimo,  
Dn. ANDREÆ KIERNER,  
Ecclesiarum, qvæ Deo in Hasled colliguntur, Pasto-  
ri longe meritissimo, Patrono singulari mentis ve-  
neratione ætatem proleqvendo, suspiciendo.*

*VIRO plurimum Reverendo atqve Praeciarissimo,  
Mag. JONÆ FRIBERG,  
Pastori Ecclesiæ in Jumala meritissimo, Patrono &  
Fautori grata mente honorando.*

*Pharmacopœiae Åboënsi expertissimo,  
Dn. JONÆ SYNNERBERG,  
Cognitionis & acceptorum benefiorum causla quo-  
vis honore proseqvendo.*

*IN declarationem qualemcumque animi, acceptorum benefici-  
orum memoris, VOBIS, Patroni & Fautores Hono-  
ratissimi, pagellas basce  
dat, dicat, dedicat*

*Plur. Reverend. Clariss. atqve Honoratissimorum  
Nominum Vestrorum*

*Observantissimus cultor  
JOHANNES THOREN.*

Clarissimo Philosophiae CANDIDATO,  
Elegantissimæ hujus dissertationis AUCTORI.

**Q**uemadmodum in eo summae Dei elucet sapientia, quod  
classibus negotiorum ex ase respondeant classes inge-  
niorum, adeo ut nullum tam infelix inveniatur ingenium,  
quoniam niciu in republica muneri obrundo sit idoneum; ita-  
bund immixto monent ac contendunt saniores, ingenii  
sui vires explorare, cuiuslibet juge et maxime necessarium  
esse officium, quo per spectum habent:

Quid valeant humeri, quid ferre reculent.

Laudanda itaque eorum est industria, qui ope verio-  
ris Psychologie in adyta haec penetrant, ut solidæ iacent  
fundamenta, quibus Practicae, & in quovis vitæ genere  
uitiles superstruantur conclusiones. Hinc etiam quenti ha-  
benda sit erudita Tua, Clarissime Domine Candidate, Dis-  
sertatio, quore applausu excipienda, aequas rerum aesti-  
matores fugere nequit. Quapropter hoc nomine Tibi  
intense gratiolor ac de mea Tecum amicitia in sinu gau-  
deo, sancte asseverans, quicunque Tibi obvenerint, fausta  
Tibi ex voto meo contingere, qui dum vixero, ero,

CLARISSIME Dn. CANDIDATE,  
TIBI

UPPSALIE d. 22. JUN.

ANNO MDCCXLVIII,

Obstrictissimus  
OLAUS OLAI HERKODIUS.

In Virum Juvenem ,  
philosophiae Candidatum Clarissimum ,  
DN. JOHANNEM THOREN ,  
Amicum Perdilectum ,  
dum pro Gradu Magisterii ,  
De INGENIO FELICI  
publice & docte alterâ vice disputaret ,  
ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ .

**M**ισθὸν θέματος σὺ εἵμας κεχαρίσμενε Θύμῳ  
λιπυχείων καιρότων ἀξιού σε θραχέι .  
Συγχάρω : Θεὸν σκηνήσας δὴ λισσουμας ὅπως  
τύ σώσῃ εἰς τὴν παλεύθερον ὀφέλειαν .

Συνδόμενος αὐτοσχεδίασε  
CAROLUS JAC. RENMARCK,  
Bohinia Svio-Gothus.

§. I.

**Q**uemadmodum parte priori descripsimus ingenium, idqve in complexu facultatum intellectualium, memorie, imaginationis & judicii constituimus; ita quid sit felix ingenium, jam dicamus oportet. Felix autem ingenium nobis vocatur, qvod ad scientias ac artes percipiendas & exercendas natura est aptum. Magnam qvoad vim intelligendi dari ingeniiorum diversitatem experientia constat. Qvidam enim has vel illas scientias ac artes tanta facilitate arripiunt, ut non discere sed reminisci videantur. Alii contra adeo sunt stupidi, ut ne simpliciora qvidem sine difficultate capiant, paulo implicatiibus prorsus impares. Objectum ingenii felicis dum statuimus scientias & artes, sublimiores intelligimus atqve difficiliores. Nam qvi ea discit, qvæ admodum sunt obvia, & qvorum exercitium vires corporis potius, qvam animi reqvirit, huic ideo ingenium felix vindicaverit nemo. Neq; id efficit qvælibet difficilia tractandi aptitudo. Conantur qvidem talia nonnulli, & qvidem magna cum contentione, imo aliquos etiam progressus faciunt;

A

fed,

sed, naturæ adverlanti obnitentes, in vestibulo scientiarum vel artium subsistere coguntur, interiora eorum ingredi non valent. Qvod si qvis asperioribus initis usus, deinde longius fuerit proiectus, cujus etiam rei exstant exempla, in hoc non defuit ingenium, sed latuit. Quemadmodum reliqua omnis felicitas gradus admittit, ita quoque ingeniorum; qvi Mathematica *expeditia* membrari nequeunt; ad supremum vero pertinent ingenia heroica; qvæ vel ad plures scientias & artes æqve sunt idonea, vel in una aut altera eo usqve procedunt, quo paucis pertingere licet.

Exemplum ingenii heroici latis insigne est incomparabilis ille Baco de Werulamio; qvi de scientiis & artibus perficiendis ea dedit consilia, qvæ ut Oracula exceptit orbis Eruditus; & quibus exsequendis Magni Superiorum Statores sumtu præbuerunt: unde factum est, ut superiori & hoc seculo, incrementa scientiarum spem superaverint & exspectationem.

### §. II.

**U**T ingenium aliquod censeatur felix, omnes facultates intellectuales symbolam conferre debent. Judicium enim est absolute necessarium, sine quo in arduis efficitur nihil. Judicium autem sine memoria ne concipi quidem potest, qvum hæc illi ratiociniorum principia suppeditet. Res denique corporeæ sine imaginatione considerari nequeunt. Nec enim sensibus obversari

3

sari possunt, nec sensus omnia exhibent, qvæ animo hic sunt contemplanda. Verum harum facultatum singulæ ad singulas scientias non eodem gradu sunt necessariæ, neqve earundem facultatum ad diversa objecta eadem relatio; qvam diuersitatem in seqventibus adumbrare potius, qvam explicare conabimur, Tuum L. B. favorem & mihiorem censuram, qva decet reverentia, expertentes.

### §. III.

**Q**uemadmodum Notitia Historica est omnium prima, & scientiarum reliquarum basis; ita etiam omnium primo in medium prodeat Ingenium Historicum. Qvod ad illud necessaria sit vis qvædam memorie, per se planum est. Sed exqvilibrium juxta reqviritur judicium, & qvidem præsertim ab Historico Pragmatico. Quid enim prodest externa rerum civilium facies exhibita, si interna earum strucitura, causarum & effectuum nexus latuerint? Exempla ingenii Historici Pragmatici ex Græcis dant Thucydides, Xenophon, Polybius, Plutarchus; ex Romanis Livius, Sallustius, Tacitus. Ex recentioribus Comineus, Thuanus, Pufendorfius, Vassor. &c Historiæ Naturali præterim inservit imaginatio, qvæ res per tria Naturæ regna ita vivide sibi repræsentare poterit, prout se sensibus obtulerunt, qvorum etiam hic opus est acrimonia. Neqve judicii erit expers, qui vera rerum istarum discrimina indagabit, easqve ad certas revocabit classes. Talis vero Historia Naturalis,

turalis, qvæ solidioris physicæ sit basis, qvalem describit Werulamius, profundum postulat judicium.

Ingenii Historici Naturalis exemplum adlaturi exteros nominare supervacaneum duimus, qvum domesticum suppetat adeo eximum, Celebrissimus Carolus Linnæus, qui omnibus naturæ dotibus ad hoc studiorum genus necessariis ornatus, alacri & constanti industria tantum in eo præstigit, quantum ante illum vix quisquam unus. Historiæ literariæ palmarium est opus, ipsam scientiarum genesis exemplare, quod quanti sit judicii, qvilibet facile videt. Præterea, ut nemo potest condere Historiam Scientiarum, qvarum non fuerit bene peritus; ita ad singulas Historiæ Literariæ taltem solidioris partes, eadem propemodum reqviruntur ingenii dotes, atque ad ipsas scientias.

Exemplum ingenii Historici Literarii ex antiquis suppeditat Diogenes Laertius; ex recentioribus Ger. Jo. Wossius, Stanlejus, Morhofius, Bælius, & qui variarum scientiarum ortum & progressum descriplerunt plures.

#### §. IV.

**M**Athesis apud veteres fuit præparatio ad Philosophiam; qvæ etiam recentiorum est sententia, Ingenium itaque Mathematicum jam considerabimus. Vix ulla in scientia tanta datur veritatum, arctissimo quodam nexu cohærentium multitudo, atque in Matheſi. In aliis scientiis conclusiones cum principiis immediato ſæpe nexu junguntur, vel

vel saltē gradibus non adeo multis ab iisdem  
descendunt: sed hic procera ac late admodum  
diffusa exlurgit arbor consanguinitatis veritatum;  
unde patet judicium hic maxime esse necessarium.  
In cæteris scientiis multas imo plurimas proposi-  
tiones subministrat experientia, ad quas simplici  
duntaxat attentione opus est; quamvis non nege-  
mus experientias quoque ipsas adcuriori quam-  
doque examini submittendas esse: in Mathesi vero,  
( puram hic intelligimus, reliquæ ejus partes ad  
physicam pertinent ) ubi discesseris ab axiomatibus  
ac postulatis, quibus sua ipsorum evidentia adsen-  
sum parit, omnia stant ratiocinio; quamobrem  
Mathesis singularem judicii severitatem flagitat.  
Exlerit se hæc potissimum in eo. I:o quod pro-  
positiones demonstrantur modo brevissimo, ita ut  
omnes propositiones subsidiariæ, sine quibus desi-  
derata veritas æque certe ac sufficienter cognosci  
potest, omittantur. II:do Quantum fieri potest,  
vitandæ sunt demonstrationes apagogicæ, quæ ne-  
gativis apius quam affirmativis propositionibus  
subiectuntur; item alienæ & remotæ, earum ve-  
ro loco adhiberi debent propriæ & geneticæ, qui-  
bus veritates ex ipsis rerum visceribus eruuntur.  
Præterea ingenium Mathematicum imaginatione  
polleat necesse est. Corpus quidem Mathematicum  
nullis tenebris sicut sit, per modum tamen  
physici considerandum est; quare etiam in demon-  
strationibus adhibentur figuræ, quæ prius, quam  
in

in tabula depinguntur, animo conceptæ esse debent, qvod per imaginationem fieri oportet. Figurarum loco adhibentur Literæ in calculo Algebraico, sed qvæ notis istis designata sunt, etiam animo erunt obvia inter calculandum, qvare & hic reqviritur vis qvædam imaginationis. Qvaniobrem, qvum determinationes Mathematicæ esse debeant omnium adcuratissimæ, neqve ulla alia in Scientia exacta adeo ac levera reqviritur imaginatio. Qvo deniqve qvis in demonstrationibus Mathematicis longius progreditur a principiis, eo pluribus opus habet propositionibus, antea demonstratis ac notis, qvas tum subministrabit memoria; cuius proinde usus hic est indispensabilis. His igitur dotibus qui fuerit instructus, qvo magis ad Speciales quantitatuum determinationes procedere valet, eo plus ingenio valet Mathematico.

Exempla ingenii Mathematici ex antiquis extiterunt, Euclides, Archimedes Apollonius, ex recentioribus Cartesius, Wallius, Barrovius, Newtonus, Leibnitzius, &c.

### §. V.

**S**pectato ingenio Mathematico ad Physicum considerandum progredimur. Enascitur Scientia Naturalis ab Historia Naturali, Mathesi & Chemia. Historia Naturalis hic absolute est necessaria. Omnis enim rerum existentium cognitio experientiæ superstrui debet, qva remota, qvidqvad de illis asseritur, inter figmenta & fabulas referri me-

retur;

retur. Verum experientia propria arctioribus est limitibus circumscripta, quem detectum supplet Historia. Atque, quum mutationes corporum ab eo runderem quantitate, figura, situ & motu proveniant, quæ omnia mensurare Matheleos est, quantæ vel hæc in Physica sit necessitatis, quilibet videt. Verum dantur etiam in corporibus, quibus inveniendis, neque experientia vulgaris, neque artificium Mathematicum sufficit. Hæc aperire conatur Chemia, quæ, vel igne violento corpora in principia quædam, Chymica dicta, resolvit; vel etiam distillationibus, fermentationibus, variaque rerum naturalium commixtione, & adcurata effectuum inde resultantium observatione, aliisque id genus operationibus arcanae earum virtutes detegere laborat. Qvod hæc ars Historiam Naturalem prælupponat, per se patet. Qvin etiam Mathematico haud raro indiget subsidio, ne in de via abripiatur. Qui Scientiis istis ad abdita Naturæ referenda recte uti valet, hic felici ingenio physico præditus censetur. Proinde non aliae hic reqviruntur ingenii dotes, quam ad dictas scientias. Non hæc est sententia nostra, quasi omnes hæ scientiæ singulis Physicæ partibus sint necessariæ. Quis enim non videt, qvod quis esse poterit Astronomus, etiamsi neque Botanicus, neque Mineralogus, neque Zoologus, ne dicam, Chemicus sit? & contra. Qvin potius peritus nobis est, tum demum optime confuli Scientiæ Naturali,

rali, si singuli singulas ejus partes suscipiant excolendas, & subsidia ad suum institutum facientia rite adhibeant. Est igitur ingenii Physici non solum Scientias istas Fundamentales suo loco adhibere, sed in eo potissimum vertitur cardo rei, ut singularum usus pro ratione instituti justos intra limites terminetur. Horum veritatem ipsa, quæ omnis Scientiæ Naturalis mater est, comprobat experientia. Græci de Natura & disputatione & scripterunt multa, sed exiguo vel nullo saepè Historiæ Naturalis & Matheœdos adminiculo; hinc pro veritatibus figmenta & fabulas protulerunt, adeoque ingenii Mythici potius, quam Physici documenta dederunt. Qvo longius hic ab experientiæ & rationis fontibus digressi sunt Scholastici, eo manifestior est eorum stultitia. Cartesius insignis fuit Mathematicus, sed, delecta experientia, pro Systemate Physico fabulam Romanensem consignavit. Hoc tamen ejus meritum est eximium, quod Physicam a soribus Scholasticis purgavit, & auctor exstitit Matheœdos ad eam applicandæ. Chemici quidem in experimentando fuerunt assidui, sed, a subsidio Mathematico imparati, multos commiserunt errores, quum ab experimentis colligerent, quæ inde deduci non potuerunt. Plura adferre exempla prouum foret, sed poterunt hæc sufficere pro brevitate proposita. Addimus tantum Christianum Wolsium, qui licet in Mathesi egregie esset versatus, in Physica tamen demonstrationibus

nibus Mathematicis speculationes Metaphysicas non uno in loco substituit. Ingenii vere Physici excellens præbet exemplum Robertus Boyle, Physicæ experimentalis & Chemiæ Dux ac Restaurator magnus. Acumen Mathematicum ac Physicum eo provexit Isaacus Newtonus, quo ante eum nemo; adeoque ut ingenium Physicum heroicum spectari potest ac debet. Hæc qvamvis ita sint, juxta concedendum est, existimare ingenia Physica, qvæ, qvum neqve Historia Naturali artificiali, neqve Scientia Mathematica fuerint instructa, propria observandi sagacitate, & nativo judicij acumine in multis eo progreßa sunt, quo pauci, dictis subsidiis suffulti, pervenerunt. Exemplum hujus rei egregium habemus in Lœwenhookio, qui, literarum prope rudis, microscopiis suis, & judicio cum eorum usu coniuncto, ad interiora naturæ sape penetravit. Imo, ut qvod res est, fateamur, maxima eorum pars, qvibus & ad necessitatem utitur, & ad voluptatem fruitur genus humanum, inventa est ab ejusmodi ingeniis, qvæ proinde Divina appellare liceat; qvia nimirum, qvidquid possident, soli Deo acceptum referunt. Sapientiæ namqve Divinæ, ut arcana Regni Gratiæ per Idiotas revelare placuit, ita qvoqve visum est, secreta Regni Naturæ per tales patefacere; & id quidem, ne qvis glorietur.

§. XVI.

**P**Ost Physicam veteres Metaphysicam tradiderunt,

runt, unde & nomen accepit. Complectitur Scientias plures; agit nimis de veritatibus universalissimis, & sic etiam de mundo, agit de Deo, mente humana ac spiritibus. Cum hac, quæ ejus ex principiis enata est, Logica vulgo conjungitur. Ingenium igitur felix Metaphysicum descripturi, plura delineemus oportet. Veritates universalissimæ non adeo multæ tradi debent; quum potissimum earum sit usus, ut reliquis scientiis principia præbeant. Aut igitur axiomata erunt, aut axiomaticum conjectaria. Et qui longius hanc disciplinam extendunt, finem ejus & modum ignorant. Fœcunditatem vero principiorum videre, eorumque relationem ad plurimas ac propemodum infinitas veritates, ab iisdem pendentes, ac mutuam veritatumistarum subordinationem & nexum, singularem requirit ingenii vim & profundum iudicium. Talis in primis erat ex antiquis Aristoteles, ex recentioribus Leibnitzius. Huc spectant quoque ingenia architectonica, quæ scientiarum indolem & relationem, tam inter se, quam ad vitam humanam per videre possunt. Hac facultate tantum polluit Baco de Werulamio, ut vix ante vel post existiterit aliquis hac in re eidem æquiparandus. Neque Cosmologia illa Metaphysica indiget prolixitate. Ut enim Theologiæ naturali substerni debet; ita hoc respectu nititur uno isto principio: mundus non est a se; quod, dictante experientia, omnia in mundo esse finita, est conjectarium principii

cipi contradictionis. Theologia naturalis, fundamento nuper dicto superstructa, tot habet particulium demonstrationum principia, qvot in mundo aspectabili se res offerunt ac rerum affectiones & mutui respectus, & qvot in mente humana proprietates & operationes observantur. Proinde hoc intuitu postulat omnes ingenii vires, qvæ istis cognoscendis inserviunt. Ut ingenium hic sit felix, duo vitandi sunt scopuli, I:mo. Ne speculationibus Ontologicis nimium indulgeatur. Ex hoc fonte multi errores, & ipse atheismus provenit, ut exempla Vanini, Spinozæ aliorumque ostendunt. Alterum est, ut dum Deus ejusque attributa considerantur, absistat imaginatio, qvod in omni spirituum cognitione curandum. Res enim spirituales imaginando sibi proponere, idem est, ac si quis vellet videre sonos & audire colores Hinc natus est Materialismus, in quem prioniores esse solent, qvi rebus extensis & corporeis imaginacionem diu intenderant. Ex pluribus, qvæ in re a deo plana errarunt, unum sufficerit nominasse Hobbesium. His observatis in consideratione mentis humanæ, exacta opus est attentione ad operationes illius earumque genesis & seriem. Unde de viribus illius, proprietatibus & propensionibus variis, quantum fieri potest, (nemo quippe hic omnia adseqvitur) statuendum, qvod ut recte fiat, ex juisitum omnino reqviritur judicium. Logisticam constituunt regulæ universales, qvibus in

veritate investiganda & communicanda uti debet intellectus. Has pauciores esse oportet, si cui erunt usui. Multæ namq[ue] si tuerint, molesta & pericula erroris obnoxia est earum applicatio. Qui tales traditurus est, omnes ingenii facultates probe cognitas habebit, q[uo]d ut modo dictum, multæ attentionis & exacti judicij res est. Hæ ut universales & paucæ, multa in se comprehendant, & proinde ad multa applicari queant, necesse est. Qui itaq[ue] illas construet, amplitudine quadam ingenii, etendu d' esprit, opus habet, & facultate pollebit universalia in particularibus p[ro]videndi & vice versa. Multiplici quoq[ue] scientia & experientia instructus erit, ut ex amplissimis istis campus, qvæ ad suum pertinent institutum, feligere valeat. Ingenii Logici exempla exhibent Cartelius, Tzchirenhausius, & auctor artis cogitandi &c. Qyam laudem neq[ue] Christiano Wolfio negamus.

### §. VII.

**D**octrina moralis, ut a Psycologia & Theologia naturali multum pendet, ita ratio ordinis ad delineandum ingenium morale nos jam deducit. Requirit autem disciplina morum I. penitorem cognitionem facultatum animi, non intellectualium solum, qvarum in voluntatem ejusq[ue] determinationem congenita vis est, sed potissimum voluntatis & propensionum ipsius, qvarum ad multiplicem diversitatem nec parum confert varia corporis constitutio ac temperamentorum discre-

pan-

pantia; quamobrem neque Physiologiæ subsidium hic abesse debet. II. Postulat hæc Philosophia notitiam veræ felicitatis humanæ, & eorum, quæ ad hanc constituendam, & animo & corpore concurrende debent, imo quæ extra hominem huc faciunt, atque vel in aliis hominibus, vel mundo adspectabili, vel quod præcipuum est, in ipso Deo, omnis felicitatis Auctore querenda sunt. III: tum absolvit momentum consideratio actionum libera- rum, nec seorsim tantum, sed in tota serie ac mutua dependentia, earumq; ad hunc finem vel promoven- dum vel impediendum efficacia. A Doctrina Morali sive Ethica Jurisprudentia Naturalis ita distingvitur, ut, quum illa de singulorum hominum salute agat, hæc, quid cum generis humani conservatione ac salute conjunctum sit, doceat. Consideratur hic genus humanum ut una quædam civitas, cuius Princeps est Deus. Proinde tota hæc disciplina re- solvitur in unam hanc quæstionem fundamenta- lem: Quid societati isti magnæ vel salutare sit vel noxiū. Neque hic adeo subtiliter philosophari solent de summo bono, ut Ethicis mos est, sed vita, membrorum integritas, res, existimatio, imo religio, illa sunt bona, quæ potissimum in considerationem veniunt. Moralia quidam adeo esse putant obvia & facilia, ut ad illa intelligenda non multum ingenii necessarium videatur; verum, qui rem altius excussit, aliter judicabit. Nonne constat, & olim & nostra ætate viros ingeniosis- simos,

fimos, qvi in aliis etiam scientiis singularis acuminis documenta dederunt, disciplinis moralibus excolendis insudasse? Nonne etiam in confessio est, tantam hic occurrere principiorum ac dogmatum diversitatem, qvanta vix ulla alia in scientia reperitur? Absit a nobis Scepticismi moralis patrocinium fulciperere, hoc autem concedamus oportet, ad veritatem hic inveniendam accurato & solidio opus esse judicio. In Jurisprudentia naturali plana qvidem sunt qvædam principia, & axiomaticis æqvipollentia e e, neminem lade, suum cuique tribue, æqvalitatem naturalem serva; verum, ubi ad particularia fit delcenlus, longa sœpe & prolixia demonstrationum serie utendum est, ut hæc vel illa veritas patescat. Plus autem negotii facessit veritatum istarum ad casus particulares, infinita varietate distinctos, applicatio; unde in controversiis populorum juxta ac privatorum decidendis tantum haud raro difficultatis exoritur. Neqve aliter se res habet in praxi Ethices. Qvot sunt in humano ingenio recessus ac latebræ? Qvam arduum est penetralia ista excutere? Qvam multa vel abscondit ac minuit, vel addit atqve auget philavita? Qvæ cupiditatum deceptio? Qvanta affectuum vis ad obscurandum lumen rationis? Qvæ conlvetudinis efficacia? Unde non mirum, qvod, licet omnes felicitatem anhelent, multi tamen id agant, qvo non possunt non fieri infelices. Quid? qvod experientia haud raro doceat

ceat, eos, qvi in aliis singulari valent perspicacia, in iis, qvæ ad veram felicitatem propriam pertinent, admodum esse cœcos. Qvanti igitur est ingenium morale, non præsumtione solum & verbis, sed re ipsa felix? Exemplum præstantissimi ingenii moralis se ficit Socrates, Philosophia Græcanicæ ille parens, cujus doctrinas cum orbe communicarunt Xenophon & Plato. Nec solum profunda rerum moralium intelligentia inclaruit Ille Vir, sed singulari altri ad studium virtutis alliciendi facultate. Atqve omnium prope sectarum Philosophi, ut aliquid viderunt ex vero, ita se ingenii moralis non fuisse expertes probarunt. Ex recentioribus ut felicia ingenia moralia spectari meruerunt magni illi Jurisprudentiæ naturalis restauratores, Grotius & Puffendorfius, qvorum vestigia secuti sunt plures doctrina & ingenio præstantes. Hominum virtute insignium exempla omnium populorum exhibit Historia.

### §. VIII.

**O**ctrina Politica continet regulas bene administrandæ Reipublicæ, qvæ si recte qvidem se habituræ sint, in iustitia fundatæ esse debent; proinde ab ingenio morali ad Politicum considerandum progredimur. Regulæ vero istæ ab experientia & ratione sunt deputandæ. Experientiæ promota conditæ est Historia, qvæ imperiorum ortum, progressum, fata & vicissitudines, earumque causas exponit. Regulas inde eruere multi judicii res est.

Nul-

Nulli enim dantur casus per omnia sibi similes. Plures igitur magna cum attentione sunt inter se conferendi, qvo facto, qvid in ista diversitate idem fuerit, tandem innotescit. Ratio quoque ipsa regulas politicas excogitare valet. Mundo enim recens nato exigua erat experientia, quam novis inventis etiam hac in parte ratio ditavit. Et multa sunt communi jam praxi recepta, quae ignorarunt antiqui. Qui regulas istas recte applicare potest, ingenio politico practico gaudet. Ingenium practicum a theoretico sic distingvimus: Practicus multis instructus sit virtutibus oportet, quae a Theoretico non æque requiruntur; quales sunt homileticæ illæ, conciliandis hominum animis apprime necessariæ; quibus accedit constantia & robur animi, tot tædis, quae & Principum & populi mores haud raro adferre solent, devorandis par. ut alia jam prætereamus. Sed nostrum hic est considerare ingenia quoad facultates intellectuales; quo intuitu observandum, magnum esse discrimen inter experientiam propriam & alienam, quam subministrat Historia. Hæc enim, quam demum cunque fuerit adcurata, multa prætermittere necessum habet, quæ ad extum rerum non parum contulerant. Nec fieri potest, ut quæ ab aliis narrantur, eorum vivam adeo quis habeat notitiam, atque qui illis, dum gerebantur ipse interfuit. Neque ita attentionem intendere solent homines ad ea, quæ in tuto constituti, tanquam ad se parum pertinentia despiciunt.

unt, atque ad hæc, qvorum eventus ad se proprius spectant. Experientia itaque aliena per propriam est perficienda. Et valet hic illud Terentii:  
*Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,  
 Qvin res, aetas, usus, semper aliquid adportet novi,  
 Aliquid moneat, ut quod te scire credas, nescias,  
 Et quae tibi putaris prima, in experiundo repudies.*

Atque ita te res habet cum monitis politicis, qvorum recta applicatio a propria experientia multum pendet. Præterea observandum est, varias in civitate dari functiones, qvæ diversarum Scientiarum subsidio nituntur. Sic, qvi cœconomiam civitatis curabunt, his proderit Mathesis, Scientia Naturalis & artium atque commerciorum Historia. Qui vero iudicia exercebunt, Jurisprudentiæ Naturalis, Historiæ & Eloqventiæ adminiculo magis indigent. Viris militaribus architectura militaris & ars fortificatoria potissimum inservit; cum exteris acturis Historia & Eloqventia civilis. Et sic de ceteris. Horum itaque singuli ingenii instruati esse debent, qvæ Scientiis istis & artibus, atque negotiis inde pertinentibus congruunt. Hi etiam in iis, qvæ suam intra sphærām inclusa sunt, solide versati, de cæteris extra illam positis, minus solliciti esse poterunt. Verum, qvibus ipse Reipublicæ clavus est commissus, his ad singula ita descendere non licet; qvod limitatas ingenii humani vires excederet. Qvod instituta adtrinet varia, & negotia particularia, sufficerit, si eorum constitutionem ac indolem variarumqve Scientiarum ad illa relationem intelligent, ut

sciant, qvomodo conservari, promoveri & damna  
qvælibet ab iisdem averti debeant. Ipsi vero per-  
spicient ingenium populi, civitatis structuram, vi-  
res, virtutes ac vicia, & secretos morbos, post tem-  
poris demum spatum, nisi præveniantur, eruptu-  
ros. Idem vicinorum aliorumqve populorum vires  
& mutuos nexus, Principum ministrorumqve inge-  
nia, & fines in longinqvum prospectantes, & magna  
deniqve illa, qvibus orbis dividitur systemata eo-  
rumqve vincula, quantum fieri potest, explorata  
habebunt. Hæc qvi intelligunt, & præteriorum  
temporum experientia in subsidium advocata, ex  
præsentibus de futuris judicare valent, & consilia ac  
negotia rebus ac temporibus convenienter instrue-  
re, hos ingenio Politico architectonico præditos  
esse statuimus.

Inter antiquos, qvi doctrinam Politicam tradide-  
runt, eminet Aristoteles, qvi licet in alia sua scri-  
pta speculations Methaphysicas ingessit, hic tamen  
experientiam pressius est secutus. Ingenio qvoqve  
abundavit Præceptor ejus Plato, sed cui in Politicis,  
deserta experientia, nimis fræna laxavit. Ciceronis  
Libri de Republica, si superstites fuissent, nulli dubi-  
tamus, qvin & ille inter præstantissimos Scriptores  
Politicos referri meruisset; præsertim qvum, qvid  
præstare valuerit, ex aliis ejus monumentis con-  
stet. Recentiores inter Auctores Politicos excellunt  
Liphus, Grotius, Hermannus Conringius, Pufen-  
dorius &c. Politicos practicos omnium gen-  
tium Historiæ exhibent. Ex multis paucos nomi-  
nasse

nasse sufficerit ; quales erant Principes antiqui, Philippus Macedo, Julius Cæsar, Octavius Augustus; Recentiores Reges, Gallorum Ludovicus XI:mus, Anglorum Henricus VII:mus, Russorum Imperator Petrus I:mus, & qvi primo loco dicendi fuissent, Svecorum gloriofissimæ memoriae Reges Gustavus I:mus & Gustavus Adolphus. Reginæ, Margareta Danica & Elisabetha Anglica. Ex Ministris celebres imprimis sunt, Ximenes, Richelius, Mazrinus & Axelius Oxenstiernius nostras.

### §. IX.

**I**ngenia Oratoria & Poëtica nobis jam describenda forent, etiam illa, quæ subtilioribus artibus apta sunt & quasi nata : sed vela jam contrahere nos jubet typographiae ac temporis angustia ; præsertim qum præsens rerum nostrarum ratio iter ad patrios lares suscipiendum acceleret. Inter plura igitur & veterum & recentiorum monumenta, in primis ad Ciceronem de Perfecto Oratore, & Horatium de Arte Poëtica provocamus ; qvorum ille ingenium Oratorium, hic Poëticum ejusque virtutes & vitia, concinna brevitate plene depinxerunt. Qvod artes attinet varias, qibus virtuē humanae cultus & splendor promovetur, hæ cum certis qvibusdam Scientiis affinitatem habent. Sic Architectura, Pictura, Statuaria, Sculptoria sunt artes Mathematicæ. Sunt aliae Chemicæ, ut Tinctoria ; aliae chemico-Mathematicæ, ut Auri-fabrilis, & Metallico-fabiles variae. De singulis istis artibus vere affirmari potest, qvod tales reqvirant ingenii facultates, quales ipsæ, qvibus cognatae sunt Scientiæ. Non tamen negavero, dari etiam in istis facultatibus particularia quædam,


cer-

certis artibus colendis inservientia, qvorum singula  
perseqvi nostrum non est.

Ingenia Mechanico-practica ex longinquo conqvirere  
minus necessarium videtur. Adeo in Patria illustre sa-  
tis, Generosissimus D:rus Christophorus Polhemius,  
ut Archimedis Hyperborei nomen dudum promeritus,  
ita dignitatis Eqvestris insigni, a Stella Polari denomina-  
to, optimo & singulari qvodam jure nuper ornatus;  
qvi plurimis & præstantissimis genus humanum ditave-  
rat inventis; cui, magno navigationis, medium per Sve-  
ciām aperiendā, negotio, qvod ipsi jam est demanda-  
tum, absolvendo, annos & vires precamur. Sufficit hic  
Vir unus refutandis eorum calumniis, qvi septentrioni  
nostro ingenia felicia abjudicant.

Quemadmodum autem omnis ista ingeniorum diver-  
sitas, ex sapientissimo consilio Divino eum in finem  
est instituta, ut omnes Scientiæ ac artes idoneos habeant  
cultores; ita civitatum immo generis humani refert,  
sedulus ingeniorum habeatur delectus, ut singula illis  
discendis ac exercendis adplicantur, ad qvæ natura sunt  
destinata.


SOLI DEO GLORIA.



CLARISSIMO DOMINO CANDIDATO.

**I**ngenium Felix, dum Tu depingis Amice,  
Ingenii venam prodis & Idse Tui;  
Ingenium Felix multum est pretiosius auro,  
Hocce decus mentis gratulor ergo Tibi.

O. B.



Höglärde Herr CANDIDAT.

**H**err Candidat Ert snilles kram  
Thet I i ljuset lemnen fram,  
Som qwickt førstand omrører,  
Fær wåra øgon wiſar klart,  
Och tlet blir allom uppenbart,  
Hwad I i skælden fører.

Jag ønskar nu: at Edert Tabl,  
Snart teljes uti Phœbi Sal,  
På Pindi wisdoms bægder,  
Ther Krants af lager fager, græn,  
Udeldad blir til Eder læn,  
Fær Edra lærda floegder.

ENGELB. HANNING, Olofsson

Clarissimo Philosophiae CANDIDATO,  
Dn. JOHANNI THOREN,  
Populari & Amico Optimo!

*EN Juvenem! celeri qui gressu scandere Pindum  
A Vult, Et Pierios participare choros.  
Et Te suscipiunt caetis amplexibus ipsae  
Aonides, niveo teque favere sianu  
Discipiunt, Larga haec statuit Tibi praemia Phœbus,  
Virtutis causa commoda plura dabit.  
Non est, quod memorem, THORENI, dulcis Amice,  
Pierides faciles esse, fuisse, Tibi.  
Serto, quod necunt, referunt Tibi munera digna  
Pro studiis, multo proque labore Tuo.  
Gratulor ergo dies, quod mox illuceat ille,  
Quo caput ornabit pulchra corolla Tuum.  
Quot flores verno nascuntur tempore, vel quot  
Frugifer autumnus dulcia poma ferat,  
Tot bona Te semper, tot Te quoque grata sequantur  
Praemia virtutis, candida Musa vovet.*

gracili vena cecinit  
JOHANNES BRATT,  
Mariestadio - Vest. - Gotbus.